

A. Ω.

COGITATIONES SUBITANEÆ

DE

MENSURA FELICITATIS,

Conf. Ampl. Fac. Phil. Aboëns.

R M I

PRÆSIDE

MARTINO JOHANNE WALLENIO

Math. PROF. Reg. & Ord.

Auctiore

JOHANNE HENR. AHRNBERG

*V. D. M. Borea-Fennone,**Die 1. Julii 1769. in Audit. Maj.**Pro Gradu Ventilande.*

ABOÆ, Typis Joh. CHRISTOPH. FRENCKELL.



Cod. Hebr. 1. v. 2. p. 2. N. 2.

I. N. 2.

§. 1. **O**mnes homines impetu quodam naturæ, eoque continuo, ad Felicitatem adpetendam & adquirendam feruntur, adeo ut nunquam quisquam, nisi ea inventa & obtenta, quiescere possit.

§. 2. Ipsa vero Felicitas alios atque alios admittit gradus, quos proinde ad certam mensuram exegisse, si minus semper, tamen pluribus in casibus juvabit.

§. 3. Felicitatem definiunt Philosophi, quod sit status veræ voluptatis; quo nomine non quemlibet jucunditatis sensum intelligunt, sed eum solum, qui ex cognitione possessionis veri boni proficiscitur. Bonum dicunt, quod perfectionem nostram promovet; Perfectionem vero interpretantur consensum variorum in uno, vel quod paulo clarius adparet, plurium

rium realitatum, ad unum aliquem certum finem
quasi conſpirationem.

§. 4. Quo igitur & nobiliora & cumulationia
quis in ſe intuetur bona, eo & nobilitati & cumu-
lationi gaudet Felicitate, quæ proinde geminam habet
Mensuram, alias magnitudine, alias multitudine bo-
norum præponderante.

§. 5. Nec facile eſt diſtu, utrum felicior ſit,
qui paucis magnis, an qui multis paryis fruitur bo-
nis, niſi loco *mensuræ* adhibetur finis ille genera-
lis, in quem conſentire debent omnia.

§. 6. Cumque bonorum alia ſint publica, alia
privata, horumque posteriorum alia interna, alia
externa: totidem felicitatis genera exiſtant necelle
eſt, quorum ſingula mensuram admittunt.

§. 7. Quamvis bonum publicum bono pri-
vato ſæpius habeatur præstantius; id tamen non
impedit, quominus exiſtere poſſit caſus, in quo ra-
tio obtineat contraria.

§. 8. Hic caſus tum certe locum habet, cum
bona ſpiritualia cum temporalibus & æterna cum
caducis contenduntur, quæſtioque incidit de libe-
rati conſcientiæ, quam cunctis gazis præponere ſolent,
qui ei juſtum pretium ſtatuerūt didicerunt.

§. 9. Nullum enim est dubium, quin unum bonum æternum, licet minimum, innumera bona peritura, etiam maxima, tot parasangis superet, ut nulla unquam mensura cogitari queat, cujus ope immensa eorum differentia æstimari possit.

§. 10. Quemadmodum felicior est qui sano, quam qui formoso gaudet corpore; ita felicior quoque est, qui probo animo, quam qui bono utitur ingenio.

§. 11. Ubi vero utrumque bonorum genus concurrit, sive de mente sive de corpore id accepferis, major existit felicitas, sed ita tamen, ut ratio sanitatis ac probitatis longissimo intervallo post se relinquat rationem bonorum, quæ formosis & ingeniosis contigerunt.

§. 12. Quamvis sæpe felicior sit, qui divitiis gaudet, quam qui inopia laborat; hoc tamen neque necessarium est neque perpetuum, quin potius incidere possunt circumstantiæ, in quibus propositio hæc inverti debet.

§. 13. Ad animum quod adtinet: non semper felicior est, qui multijuga eminet doctrina, quam qui nullam frequentavit scholam, ob eamque causam plura non didicit, quam quæ usus vitæ & principia Religionis catechetica recte intellecta suppeditant.

§. 14. Quid? quod status hominum rudiorum eo minus pro certa nota infelicitatis haberi debeat, quo certius constat, fieri posse, ut plus veræ virtutis reperiatur in iis, quorum diurna nocturnaque opera in tractandis instrumentis rusticis versatur, quam in iis, quorum omnes vitæ partes in doctrina cumulanda evanescunt, analiguntur occupantur.

§. 15. Interea hoc certum est, non parum argumenti ad felicitatem comparandam exspectari posse ab eruditione, ubi animum offenderit pietate imbutum; in primis si solida fuerit, nec tam in abstractis speculationibus, quam in vera & viva veritatum praxi servientium cognitione consistat.

§. 16. Nec hoc prætereundum, tum demum ad felicitatem prodeesse scientiam & doctrinam, cum ad eam accesserit docta quædam ignorantia, quæ nos tam modestos efficit, ut ea scire non affectemus, quæ in nostra potestate non est positum cognoscere.

§. 17. Quod si vero animum pietate vacuum & laudatis modestiæ ornamenti destitutum adulterit eruditus, tantum abest, ut eruditio optatum felicitatis fructum ferre possit, ut potius id fere efficiat, quod gladius acutus in manu hominis furentis.

§. 18. Nihil igitur ad felicitatem vehementius pertinet, quam veræ & viva Religio, sine qua nec quæri nec inveniri potest felicitas, quidquid sibi i-

magnantur, qui humano generi rectius consultum fuisse somniant, si ex hac parte nullus obex positus fuisset cætitati ac feritati hominum naturali, quæ multos brutis quoque bestiis deteriores efficit.

§. 19. Tantum vero abest, ut Religio mere Naturalis ad æquatum felicitatis instrumentum haberi debeat, ut potius contrarium nos credere jubeant exempla eorum, qui, licet sagacissimi fuerint Philosophi, tantum tamen cætitatis in negotio Religionis ostenderunt, ut omnium commiseratione digni fuerint.

§. 20. Nam, ut alias cætitatis notas omittam, hanc unam adduxisse sufficiat, quod peccata & flagitia, quorum turpitudinem quodammodo perspixerunt, imaginaria quadam pœnitentia expiari posse somniarint.

§. 21. Quam precarium fuerit fundamentum, quod felicitati hoc pacto substruxerunt, vel inde cognosci potest, quod tam tetra sit macula peccati, ut nullo alio medio, quam cruore ipsius Filii DEI elui possit.

§. 22. Quid? quod nemo plena peccatorum pœnitentia tangatur, nisi veram vel impetratae vel saltem sperandæ remissionis causam, quæ merito Filii DEI unigeniti continetur, recte cognoverit; id quod fieri

fieri nequit absque notitia Evangelii, quod natura penitus ignorat.

§. 23. Et quomodo quæso pœnitere posset hominem peccati, quod in DEum O. M. commisit, quamdiu aliam DEI ideam sibi formare nequit, quam quæ Adamo impressa fuit a Diabolo, qui ipsi DEum, non ut Ens amoris plenissimum, sed ut invidum & superbum repræsentavit tyrannum.

§. 24. Cum autem homo in Filio DEI, tanquam vera & viva Patris imagine, benevolentia & misericordia Divinæ magnitudinem æstimare didicerit, tum demum veræ pœnitentia capax est; adeo ut primus quoque gradus inveniendæ felicitatis spiritualis in Christo quæri debeat.

§. 25. Quidquid igitur felicitatis ante auditum & creditum Evangelium sibi imaginatur homo, id purum putum est somnium, cuius vanitatem, simul ac recte evigilaverit, cognoscere potest unusquisque, cui hujusmodi evigilandi felicitas contigerit.

§. 26. Quod vero ad ipsum adtinet sensum voluptatis, quam vera felicitatis idea complectitur, is animum humanum prius adipicere non potest, quam eruditus fuerit de remissione peccatorum, eamque in corde gustaverit omni melle dulciorem.

§. 27. Sine hac experientia, vana duntaxat umbra felicitatis est, quidquid hoc nomine insigniunt, qui

qui quanto plus vanæ gloriæ & caducarum divitiarum consequuntur, tanto se aliis feliciores somniant.

§. 28. Multo adhuc minus verum felicitatis sensum habent, qui omnem voluptatis laudem ex titillatione externorum sensuum metientes, nihil jucundum experiuntur, nisi quod ex rebus caducis citoque perituris percipitur.

§. 29. Quid? quod ne illa quidem sincera & defæcata sit voluptas, quæ ex contemplatione rerum creatarum hauritur, nisi quis iis utatur loco scalæ, qua ad DEum adscendat, infinitam Ejus potentiam, bonitatem & sapientiam sentiendo.

§. 30. Quocirca ii demum vere felices sunt, qui ea viâ, quam monstrant Sacræ Litteræ, cum DEo uniti, ita vivunt, ut singulis momentis in Ipsius versentur confortio, & mente Ipsi devota, nihil dulcius, nihil svavius, nihil jucundius sciunt, quam Ipsius in sinu deliciari, & quidquid gustent felicitatis, id omne non suis meritis sed meræ Ipsius gratiæ tribuere.

